TERENTIUS

Österreich (Wien), 1452 Seite 70v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1795
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner), Bibliothek

quam numquam est ratus posthac se habiturum reddo. qua re suspectus suo patri: et Phidippo fuit exolui. hic adeo anulus omnibus rebus fuit initium inueniendis. Nam meminit ab hinc decem menses fere ad me nocte prima confugere anhelantem domum sine comite uini plenum: cum hoc anulo. Extimui illico. Mi Pamphile inquam amabo quid es exanimatus obsecro: aut unde anulum istum nactus es dic mihi. Ille alias res agere se simulabat. Postquam uideo (nescio quid) sic suspicarier: magis cepi instare ut dicat. homo se fatetur ui in uia nescio quam uirginem compressisse. Dicit que sese illi anulum dum luctat detraxisse. et hec cognouit Mirrina in digito modo me habentem. Rogat unde sit: narro omnia hec. Inde est cognitio facta Philomenam esse compressam ab eo. et filium inde hunc natum. Hec tot propter me gaudia illi contigisse letor. et si hoc meretrices alie nolunt. Neque enim est in rem nostram ut quisque amator nuptiis letetur. Verum ecastor numquam animum questi gratia ad malas adducam partes. Ego dum illi licitum est usa sum benigno et lepido et comi. Incommode mihi de nuptiis euenit factum. fateor. At pol me fecisse arbitror ne id merito mihi eueniret. Multa ex quo fuerint commoda eius incommoda ferre est equum. pa par ba.

Pamphilus Parmeno Bachis

Pan Vide mi Parmeno etiam sodes ut mihi hec certa et clara attuleris. ne me in breue hoc conitias tempus. gaudio hoc falso frui. Par Visum est. Pan Certe ne? Par Certe. Pan Deus sum si hoc ita est. Par Verum reperies. Pan Manedum sodes. timeo ne aliud credam: atque aliud nunties. Par Maneo. Pan Sic te dixisse opinor inuenisse Mirrinam Bachidem anulum suum habere. Par Factum. Pan Eum quem olim dedi ei: eaque te hoc mihi nuntiare iussit. ita ne est factum? Par Ita inquam. Pan Quis me est